

No. 308. 1292. 9. Nov.

*Probst und Capitel erklären, dass sie zwar in den in vorstehender Urkunde verhandelten Kauf eingetreten seien, unvernünftig aber aus ihren Mitteln die volle Summe zu zahlen, Getreidezinsen sowohl, wie einen Theil der Geldzinsen an einige Mitglieder des Capitels abgetreten haben, über die Geldzinsen aber zu Gunsten der Domkirche sofort von den Käufern Bestimmung getroffen worden sei.*

Nos Siffridus dei gratia decanus, Johannes praepositus Wrcinensis, Heydenricus cantor totumque Misnensis ecclesiae capitulum recognoscimus et tenore praesentium protestamur, quod cum venerabilis pater dominus noster Withego Misnensis episcopus, nostro consensu accedente, tria maldra tritici, quatuor talenta et quatuor solidos denariorum annui census in villa Byscopize sita, quorum duo talenta et duo solidi debentur in festo sanctae Walpurgis, duo vero residua talenta et duo solidi debentur in festo sancti Michaelis, et tria maldra tritici debentur in festo sancti Martini, Tysconi Wluerici civi Misnensi pro septuaginta duabus marcis argenti Fribergensis ponderis vendidisset, reservata sibi potestate infra unius anni spatium reemendi. Cuius anni circulo revoluto cum dictus dominus noster episcopus dicta bona reemere non valeret, postulabat a nobis magis volens, ut apud capitulum quam apud laycum permanent, ut bona saepe dicta pro tanta pecunia emeremus et absolveremus a layco memorato. Cuius desiderio annuentes praelibata bona pro septuaginta duabus marcis emimus, ipsa de manu dicti Tysconis suorumque heredum plenissime absolventes. Non habentibus itaque nobis tantam pecuniam in communi, magistro Theoderico Budesinensi praeposito pro triginta marcis argenti vendidimus dicta tritici tria maldra, ut nos emeramus, quorum Arnoldus dabit sex modios, Otto sex, Martinus sex, Gan sex, Heynricus sex et Frysko sex modios, et sic tria maldra tritici complebuntur. Item domino Conrado custodi dicto de Boruz et magistro Conrado de Hersweldia vendidimus quatuordecim solidos praelibati census pro septem marcis argenti, quorum Arnoldus solvet septem solidos, et Otto residuos septem solvere tenebitur annuatim, dantes eis liberam potestatem, tam de tritico, quam de denariis ordinandi, quidquid placuerit in ecclesia Misnensi. Dicti vero Conradi praefatos quatuordecim solidos ad anniversarium magistri Conradi archidiaconi Nysicensis bonae memoriae assignarunt de nostra bona et libera voluntate. In cuius rei testimonium sigilli nostri, capituli nostri, Johannis praepositi Wrcinensis et cantoris praesens scriptum sigillorum appensionibus duximus muniendum. Actum et datum Misnae anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, proxima dominica ante festum beati Martini.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen. An Pergamentstreifen hängen die wohl erhaltenen Siegel des Capitels, des Decans Sifrid, des Propstes Johann (eine Rose, von welcher nach 4 Seiten Lilien ausgehen [Umschrift: S. Johannis: prepositi Wrcinensis; unter der Rose: Factum anno domini M. CC. LXXI.] und des Cantors Heidenreich (Adler mit Heiligenschein).